



Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLVII. Uxor non relinquens ob adulterium caecatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

atrunque excanduisse: deinde tutorem ex conscientia rationum, omis-
sisse potius matrimonii vindictam, quam mutuis caderet actionibus.
Sic pares acceptasque factas actiones.

CCCLVI.

Filius pro meretrice patris, suam redimens.

Quidam luxurioso filio, amanti meretricem, dedit pecuniam, ut fibi
emeret eam meretricem, quam ipse pater amabat: ille eam redemit,
quam ipse adolescens amabat. Abdicatur.

S E R M O.

Hic senex dicet filium fuisse luxuriosum, & non sine maximo pa-
trimonii ac fama damno amasse meretricem; cui malo voluisse me-
deri patrem, saepe objurgatum filium: saepe secreto, saepe etiam pa-
lam castigatum. Cum jam nec sumptibus, nec verecundia finis im-
poni posset, habuisse cum cognatis consilium, quidnam se facere oport-
eret. Abdicaret: sed tanto liberior fuisset luxuria. Castigaret:
sed nihil castigando profecerat. Succurrisset cognatis & amicis ratio-
nem, qua putarent juvenem posse emendari, si simularet pater amari
à se meretricem, & daret pecuniam potissimum ipsi filio ad redimen-
dam: quod si fecisset, futurum ut meretrix, redempta altera me-
retrice, deinde ab ipso adolescente redempta, indignaretur, & il-
lum amare desineret. Nam initio statim dicendum est, & culpa
meretricis juvenem habuisse: & ideo quasitam, qua avocaret, &
illa ratione datam juveni pecuniam. At illum protinus cucurrisset ad
meretricem suam: patrem autem, quoniam nullo modo sanare fi-
lium potuerit, ad ultimam ultionem confugere: Abdicare filium,
quia emendare non potest.

CCCLVII.

Uxor non relinquens ob adulterium cecatam.

ADULTER EXCÆCETUR. UXOR VIRUM IN CALAMITATE
NE DESERAT. Quædam patri de marito ter quæsta, & tacere jus-
sa, postea ab excæcato ob adulterium viro, quia non recedit, abdi-
catur.

S E R M O.

Hæc mulier dicet acceptum à patre maritum, se ab initio amare
cœpisse: adolescentem, lenociniis adulteræ illius usque eo captum esse,
ut revo-

ut revocari à cupiditate non posset. Ut necesse erat, modeste se tulisse, & eo magis, quod maritum diligeret: voluisse ergo experiri, quid de adulteris pater sentiret: indicasse ei adolescentis errorem: respondisse illum, esse quaedam aetatibus concessa, nec reprehendi lusus in ejusmodi juvena debere. Tum vero cariores sibi virum factum, posteaquam lusibus ejus patrocinari etiam senex cœperit. Sed cum videret nequissimæ mulieris illecebris maritum teneri, & jam vindictam adulterii, atque occasionem captare adulteræ maritum: iterum ad patrem venisse, ut illius saltem auctoritate emendari adolescens posset. In eadem voce illum perseverasse iterum ac tertio. Miserrimum ergo juvenem fraude & insidiis deceptum, eam fortunam sustinere, quam illi semper uxor timuerit. Accessisse novum amori suo sacramentum, ¹ & iudicio patris factum juvenis affectum. Hoc colore optime defendetur mulier, alioqui lege imbecilla. Nam ex contraria parte infinitum potens est illud, maritum esse damnatum.

CCCLVIII.

Exposito pulsatori amputatæ manus.

TALIONIS SIT ACTIO. QUI PATREM PULSAVERIT, MANUS PERDAT. ² Quidam exposito, quem in locum filii sustulerat, pulsatus, tanquam pater manus incidit. Agnitus ille, advocato naturali patre, talionem petit.

S E R M O.

Hic adolescens jure infirmus est. Nam quod lege agitur, non solet vindicari lege. Cur enim potius ab educatore, quam à carnifice, petatur talio? Sed præter quam lege agitur, etiam facto laborat: quod quamvis educatorem, tamen patris loco pulsaverit. Dicat tamen educatorem fuisse hunc ab initio crudelem, & hinc suspicatum juvenem, non esse illum verum patrem. Sepe amicis questum: quibusdam etiam mandasse. ut inquirerent, qui aliquando infantes exposuissent. Hac re validius offensum senem: itaque dedisse operam,
ut se

¹ Et iudicio patris factum juvenis affectum.] Forte: factum juvenis excusatum. Gron.

² Quidam exposito.] Omnino, ab exposito. Idem.